

www.e-rara.ch

Positiones ex disciplinis propaedeuticis praecipue desumtas

Wettstein, Johann Rudolf

Basileae, [1673]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-21230>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

N^o. 15.^p

Catalog

Diss. 429.

DEO O. M. BENEDICENTE
POSITIONES
EX
DISCIPLINIS PROPÆDEVVICIS
PRÆCIPVE DESVMTAS

VACANTE PROFESSIONE ORATORIA
SPECIMINIS LOCO

JVSSV ET AVCTORITATE
MAGNIFICI ATQVE SAPIENTISSIMI
PHILOSOPHORVM ORDINIS

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTIT

M. JOH. RODOLFVS WETSTENIVS

RESPONDENTIS
MVNERE FVNCTVRO
FLORENTISSIMO JVVENE
FRIDERICO BAVHINO, JOH. CASP. FIL:
BASILIENSE

D. XX. JVNII. A. dō. 15C. LXXIII.
LOCO ET HORIS CONSVETIS.



BASILEÆ,
LITERIS BERTSCHIANIS.



12.17

DR. O. M. R. N. D. C. N. T. T.

DISCIPLINE IS A GOOD THING

IN THE HOUSE OF GOD

IT IS A GOOD THING

TO BE A GOOD THING

IN THE HOUSE OF GOD

IT IS A GOOD THING

TO BE A GOOD THING

IN THE HOUSE OF GOD

IN THE HOUSE OF GOD

IN THE HOUSE OF GOD

IN THE HOUSE OF GOD

IN THE HOUSE OF GOD

IN THE HOUSE OF GOD

IN THE HOUSE OF GOD

IN THE HOUSE OF GOD



UNIVERSITY OF THE SOUTH PACIFIC

THESES ORATORIAE.

I.

Declamatio differt ab Oratione, Rhetor ab Oratore: Ergo & Rhetorica ab Oratoriâ.

II. Imò, Rhetorica Oratoriæ tantùm faciliùs addiscendæ inservit.

III. Oratoris definitionem, Virgilius l.1. *Æneidos*, tribus versibus est complexus: ubi de seditione plebis, faces & saxa jaculantis, loquitur:

*Tum pietate gravem, ac meritis si fortè virum quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus adstant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.*

Improbis enim non est Orator, quamvis picâ foret loquacior.

IV. Unum genus esse perfecti Oratoris, cum Tullio asserimus.

V. *Græca lingua cognitio* exactior futuro Oratori summè est necessaria: adèd ut Quintilianus, eam ante Latinam addisci, velit.

VI. *Eloquendi facilitatem*, an scribendo plus, vel legendo; an verò dicendo, acquiramus? non immeritò quæritur. Præeunte Quintiliano, æqualem omnibus tribus & indiscretam vim tribuimus.

VII. Scriptores parùm verecundorum, veterisq; comediæ, in illis etiam sæpe laudantur: Orator autem nullum eis locum, cum Vir bonus sit, concesserit.

VIII. *Imitatio* utilis simul & necessaria est Oratori; sed Judicio est opus, ut Quis sit imitandus, & Quomodo noverit: ne, quæ sibi minus congruant, vel pejora etiam, imprudens sectetur: & quam Ciceronis dictionem maximi faciam, minimè tamen concesserim, eam solam esse adhibendam.

IX. *Styli exercitia*, Epistolographia, Poëmata, in primis Versiones è Græco Sermonem in Latinum, Oratori curæ sint. Scribendum ergo quàm diligentissimè, & quamplurimùm; non item festinanter. Optimè namque Fabius: *Citò scribendo, non fit, ut benè scribatur; benè scribendo fit, ut citò.*

X. Omnia nostra, dum nascuntur, placent; alioqui nec scriberentur: nil tamen simul inchoatum & perfectum. unde *Emendationis* recordabitur Orator, adjiciendo, detrahendo, mutando: idque sic, si fieri possit, ut per intervallum ad scripta redeat.

THESES MISCELLANÆ.

- I. Logica ante Rhetoricam disci debet.
- II. In Logicis rectè agitur de Prædicamentis.
- III. Definitio Logicorum instrumentorum est præcipuum.
- IV. Symbolum veri Philosophi est: *Nullius in Verba.*
- V. Venerandæ tamen antiquitati præ novitate suus debetur honos.
- VI. Usus Disputationum moderatus est utilissimus ; immoderatus, peste nocentior.
- VII. Stellæ non sunt innumerabiles.
- VIII. Cælum sydereum est solidum.
- IX. Luna non obscuratur ab umbrâ Terræ.
- X. Astrologia judiciaria, piæ vetustatis judicio, impia, superstitionibus plena ; valdeque incerta est.
- XI. Voluntas non potest cogi.
- XII. Juvenis potest idoneus esse Auditor Ethices.
- XIII. Spectacula Mimorum, Veteres Christiani, protinùs execrati sunt : ego valdè dubito, an hodie mitiùs de iis sit sentiendum.
- XIV. Licet etiam Christianis bella gerere : quanquam Origenes id non probare videatur : *lib. 8. contra Celsum p. 427.*

THESES PHILOLOGO-CRITICÆ.

I. *Aliter scribere & aliter pronunciare, vecordis est* : inquit Cassiodorus cum Papiriano. Interim Græcos Latinosque, etiam cum maxime Lingua utraque floreret, aliter scripsisse, & aliter pronunciâsse, multa mihi persuadent. inter alia, quòd Grammatici primam artis suæ partem fecerint *Orthographiam*.

II. Diphthongum OI jam ante XIV. secula uno spiritu raptim, instar Y, tono exili pronunciatam fuisse ; firmo nobis argumento est locus Hieronymi *tom. 3. epist. ad Fretelam & Suniam p. 94. Canonymia non, ut Latini interpretati sunt musca canina, dicitur per y Græcam literam : sed juxta Hebraicam intelligentiam per OE diphthongum debet scribi, ut sit ξονομύια, id est, omne genus muscarum.* Eadem ex Hieronymo repetit Eucherius *de Nominibus Hebr. c. XI. p. 291. & Beda lib. de Orthograph. tom. I. p. 77.*

III. Etiam si Latinis vulgò tres *Comparisonis gradus* tribuant : attamen, ipsum *Superlativum* quidam transcendere, gradu *ἀνωμαλῶς*, non

non sunt veriti. Arnobius *lib. 5. c. gentes. p. 166. Minimissimus digitorum* : & Tertullianus in *Apologet. c. 19. Extremissimi Prophetarum.*

IV. Aliquot Libri S. Scripturæ, à S. Augustino, & sequentis ævi Patribus, *Canonici* vocantur; quos Origenes, Athanasius, Hieronymus, aliiq̃ue vetustiores, tales esse negarunt. Non tamen sibi contradicunt. Ut parùm præsidii Pontificii Doctores exinde petere possint pro nonnullis Apocryphis. Quærenti enim patebit: Vocem *Canonici* diversis temporibus diverso sensu fuisse acceptam.

V. *Deus* Vocativum similem Nominativo format: uti canone peculiari nostri docentur adolescentuli. Si tamen id perpetuum esset; nunquam, opinor, Tertullianus scripsisset *l. 1. adv. Marcionem p. 453. Gratus esses ô DEE heretice, si esses in dispositionem Creatoris &c.*

VI. *Eximius, egregius, lectus*, quid inter se differant, non adedò notum. E' Donati *Commentariis in Terentium*, quod didici, adscribere non erubescō: Scilicet, *Propriè Eximii sunt Porci majores, qui ad sacrificandum excepti, liberiùs pascuntur: Etenim Boves, qui ad hoc electi sunt Egregii dicuntur, & Oves Lectæ.*

VII. *Ὁ Θεράπων*, seu *Famulus*, in scriptis Græcorum & Latinorum Patrum, κατ' ἐξοχὴν eminenter & absolute dicitur *Moses*. Videatur Origenes in *exhort. ad martyrium*: & in *Philocaliâ, c. 14. p. 44. Epiphanius hæresi 48. p. 176. Tertullianus l. 2. adv. Marcionem c. 28. p. 474. Cassiodorus lib. divin. Lection. c. 28. p. 917.*

VIII. Pontifex Romanus frustra sibi soli *papæ* nomen tribuit: cùm olim communiter Episcopi, quin & Clerici, multis in locis, hoc titulo salutati sint. verbi gr. Apollinarius, in *Origenis epistolâ ad Africanum*: Athanasius, apud Epiphan. *hæres. 68. p. 309. Epiphanius, apud Hieronymum t. 2. apol. adv. Rufinum p. 233. Augustinus, apud Eund. t. 2. p. 346. in fin. epist. ad Augustin. Lupus, Græcus: aliiq̃ue, apud Sidonium Apollinarem, Epistolarum l. 6. & passim.*

IX. Germanos à Græcis multa vocabula accepisse: à Viris doctis, inprimis *Andreas Helvigio* in Originibus dictionum Germanicarum, rectè observatum est. Monuit id ante ipsum *Walafridus Strabo l. de rebus Ecclesiasticis c. 7. p. m. 395.* putatq̃ue, à Prædicatoribus (sic nominat Verbi divini Ministros) Græcæ & Latinæ Linguae peritis, qui Barbaris in Romanâ Republicâ militantibus Evangelium annuntiârint, usu invaluisse. Sed de Ecclesiasticis dictionibus, *firch/abt/apostel/antichrist/bibel/* & similibus, id facile concesserim; rerum aliarum denominationes, ut *herz/felch/vatter/mutter/mon/* &c. diu antè à

Græcis acceptas fuisse, inde patet; quod voces verè Germanicæ, jam præ vetustate obsoletæ, etiam Græcæ originis sint. Nihil enim aliud est *funne*/ id est, ut hodie loquimur, *geschlecht*/ apud Otfridum in *libr. Evangel.* p. 46. quàm γων, generatio. Ac de Helvetiis scribit Jul. Cæsar, *Comm. 1. de bello Gall.* p. 18. In castris eorum tabulas fuisse repertas, literis græcis confectas.

X. Pietas Veterum Christianorum exinde plus satis liquet; quod cum per salutem Cæsarum jurarent: referente Tertulliano in *Apologetico* c. 32. p. 31. potius mortem atrocissimam subire, quàm mutato tantum verbulo, PER GENIUM CÆSARIS jurare voluerint: id quod adulatores Imperatorum primum facere; dein publicâ auctoritate Persecutores à Christi cultoribus requirere, consueverant. Videatur Eusebius *Hist. Eccles. 1. 4. c. 15.* Orig. *1. 8. contr. Celsum*, p. 421. Minucius Felix in *Octavio*, p. 33. Tertullianus *lib. ad Scapulam cap. 2.*

XI. Utrum Philippus Arabs, Gordiani successor, religioni Christianæ addictus fuerit? difficile est definire. Reip. Literariæ principes, Josephus Scaliger in *Animadv. Eusebianis ad A. MM CC LXI.* & Isaacus Casaubonus *Notis ad Julium Capitolinum* p. 201. id negant. Multum me movet tantorum Virorum auctoritas: sed, ii restant dubiorum apud me scrupuli, ut nondum permoveat. Meliora edocti, sententiam mutabimus.

XII. Origenis lapsum, quod Diis thus incendiisse fertur: ab Epiphanio primum commemoratum, *heresi LXIV. p. m. 228.* pòst à Græcis scriptoribus, Nicephoro Callisto, Cedreno, Suidâ, Glycâ, & aliis descriptum: lubrico stare fundamento, & merum esse figmentum; tum propter rationes à Baronio in *annalibus ad A. Ch. 253.* Num. 121. allatas; tum aliis de causis, asserere non dubitamus.

XIII. S. Basilus M. & Gregorius Theol. in *sine c. 24. Philocalia Origenica*, MAXIMI faciunt mentionem: quem Clarissimus Huetius *1. 1. dissertat. Origenianarum. pag. 276.* ad Constantini M. tempora refert. Sed omnia me fallunt, aut is est, de quo Eusebius *Histor. Eccles. 1. 5. c. 27.* tradit, Librum eum conscripisse *περὶ τῆς πολυθροῦλης αἰρεσιώτης ζητημάτων, ὅθεν ἡ κακία*; de vulgatissima illâ hæreticorum questione, Unde sit malum? Consentiente Hieronymo de *Script. Eccles. 1. 1. p. 284.* Freculso in *Chron. tom. 2. l. 2. c. 27. p. 495.* & Mariano Scoto *lib. 2. Chron. atat. 6. p. 383.* Quapropter temporibus Commodi & Severi, eum vixisse: certum satis nobis videtur.

XIV. Epiphanius *heresi XLII. p. 135.* scribit: Marcionem Romanam venisse *μετὰ τὴν πελδοτικαὴν Ἱγνίνον τὸν Ἐπίσκοπον Ρώμης*, post obitum, Hygini

Hygini Episcopi Romani, ordine noni à Petro & Paulo : Pag. verò 160. Eum ibi appulisse post tempora Aniceti Romani Episcopi, successione noni: quæ manifestè pugnant, nam ex recensione Eusebii in *Chroniciis*, Romanæ Ecclesiæ episcopatum octavus suscepit Hyginus, & nonus Anicetus: dein ex Hieronymi *catalogo tom. I. p. 274.* discimus: Polycarpum, Marcionem, sibi Romæ obviam factum, palàm *Primogenitum Diaboli* appellasse. Quod sub Aniceto factum esse, colligitur è scriptis Eusebij commemoratis: & confirmatur à Tertulliano *l. 3. Carminum adv. Marcionem.*

XV. Duos fuisse Julios Africanos, certum est. Vir illustris Josephus Scaliger in *Animadversionibus Eusebianis ad A. MCCCXXXVI.* distinguit Julium Africanum à Sexto Africano, quem Suidas commemorat. Quia tamen Suidas cum nomine res quoq; gestas tribuit eidem Viro, cujus & Eusebius *hist. Eccl. l. 6. c. 31.* Niceph. Callistus *Hist. Eccl. l. 5. c. 21.* Et Photius in *Bibliothecâ cod. 34.* meminerunt; hoc tantum cum discrimine, quòd Sexti cognomentum addat; non ausim ego, ex uno duos facere. Interim Fabius Quintilianus *Instit. Oratori. l. 10. c. 1. p. 182.* alterius *Julij Africani, Oratoris*, ut ait, *longè præstantissimi*, mentionem facit.

XVI. Vsu communi receptum est apud populos Europæos, ut impoliti hominis nota habeatur, Virum honoratum & eminentem numero singulari alloqui; debitiq; cultûs sit signum, sic alloqui unum, ac si plures essent, Druthmarus, Ecclesiasticus Scriptor non ignobilis, observavit jam suo tempore, seculo circiter nono, in Galliâ hanc consuetudinem invaluisse. Ratio hujus moris, quam affert in *exposit. Evang. Matthæi, p. 191.* lepida est: *Notandum verò, quòd non eo more Dominum appellat (scil. Petrus) quo secularis doctrina apud nos dicere solet; sed, Tu es: sicut in antiquis libris invenitur usos fuisse majores. Siquidem Romulus & Remus duo fratres, tanta concordia fuisse dicuntur, ut nihil unus sine alio vellet habere, & omnia communia dicerent & haberent: sicut modò Monachi faciunt. Ex hac re increvit consuetudo in hac Galliâ, ut Dominos plurali numero appellent. Quid opus erat, ad Romuli & Remi ætatem assurgere; ut phrasin, Christi tempore usitatam, explicaret? Cur in Galliâ potius, quàm Romæ, ex illorum fratrum communione hanc consuetudinem traxissent? Nobis hoc sit verisimile: Cùm in Galliâ vigeant privilegia Juris Primogenituræ; Fratres, qui bona Primogeniti liberalitate possidebant, non suo peculiari, sed omnium communi vel plurium nomine, subditos fuisse allocutos: eosdemq; talia responsa tulisse, ac si plures essent.*

XVII. Zo-

XVII. Zonaras in Expositione Canonis 96. Concilij VI. in Trullo p. 205. scribit: Græcos, suo tempore crines fictos, à τριχοβάταις καὶ τριχοπλάταις (vocabula nulli Lexicographorū observata) capillorum tinctoribus & formatoribus adornatos, & versūs zonam pendentes, gestasse: Juvenes barbam penitus abraisisse; ætate verò provectiores, sic truncasse, ut nihil ab adolescentibus differre viderentur. Unde, quos hodie imitetur Gallia, facile est divinare.

I. Aut characteribus solitis : iisque

Vel detractis mediis; ut $\bar{\iota}_5$ pro $\bar{\iota}\sigma\tilde{\varsigma}$, aut
ultimis. ut ζ_{η}^r pro $\zeta\eta\tau$.

III. Aut miscentur utræque tam communes, quàm fictæ: quando literæ vel syllabæ (præsertim finales) detractæ, notis peculiaribus suppleuntur. quæ quidem vel

Literis annectuntur. Numerus ejusmodi Notarum.

- pro ω, & pro αν, < pro cν, \ pro εν, ° pro ων, // pro εν,
✓ pro ας, ; pro ες, °° pro ας, °° pro ες, | pro γς, &c. Diffici-

liorum exemplorum aliquot Centurias è Codd. MSS. colle-
gimus; suo, si Deus dederit, & doctorum Virorum favor ac-
cesserit, tempore lucem visuras.

SOLI DEO GLORIA.